



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE I. JULII.

M

Antua Carpetanorum,
a. d. 20. Maii. Ex quo
tempore rex cum
præcipuis aulæ pro-
ceribus Aranguessæ
viuit & nobilissimi
quique viri in suas

abierunt villas, urbem incolis satis fre-
quentem, solitudinem factam existimes.
Cum præteritis diebus cursor e Gallia
missus litteras ad regem nostrum adtu-
lisset, accessit protinus suere Arangues-
sam, quos rex arcanorum consiliorum
facere solet participes, in quorum con-
spectu litteræ resignatæ & cum singulis
communicatæ fuerunt. Chauignius Cal-
lorum legatus extraordinarius, qui in
villa, cui Composucio nomen est, ad-
huc viuit, quam sapissime ad regem
euocatur, non tamen prius solemniter in

aulam adducetur pompa, quam rex cum
regina in hanc urbem redierit. Illa, quæ
præterit, hebdomade, Ledius *Marchio*
Lutetiam Parisiorum profectus est, vn-
de in Flandriam eum abiturum conici-
mus. Itineris comitem habuit Ledium
fratrem, qui equestri ornatus dignitate,
sumique militum ducis legatus est, sed
aulæ deliciis vitam præferre solitariam,
& in Monasterio Louaniensi, quod diu
Hieronymo sacrum est, reliquam exigere
ætatem constituit. Fratri quidem val-
de displicuisse audiuimus eiusmodi con-
siliium, qui omni potius eum ratione
ab instituto auocare, & plane detinere,
atque omnia suadere alia voluerat; sed
in suo ille proposito perseueravit, atque
irreuocabile esse, quod iam olim susce-
pisset, votum, magna animi constan-
tia adfirmavit. Martinus Gusmannus

Mon-

Montalegrius *marchio*, regis pincerna, & militum, qui bipennibus instructi, ante palatium regis excubare solent, die 15. Maii, anno ætatis quarto & Sexagesimo, e vita, decessit. Vt e litteris Septa ad nos perlatis, intelleximus, annona mirifice ingrauescit in illis regionibus, & quamquam rex Marochensium, ciuium suorum egestati subuenturus, horrea, quibus frumentum adseruari solet, aperi-ri & singulis panem distribui iussit, ubi-uis tamen locorum inueniuntur homi-nes, qui fame, quam diutius tolerare haud poterant, enecti, misere pereunt.

Parisis, a. d. 5. Junii. Complures iam ex Aula proceres Versaliam præcesse- runt, curaturi, vt omnia mature sint parata, quæ ad accipiendum pro Maie- state regem videntur necessaria. Rohaniū *Abbatem* cui Rhemensis Archiepiscopa- tus iam decretus est, propediem muni- ri illi inauguratum iri ferunt. Fama præterea in vulgus exiit, Pontificem tres separatos libellos regi nostro misisse: quorum primo facultas regi conce- ditur, *confessarium* quemcunque libue- rit, inuito licet *Cardinale* Noallio, eli- gendi, secundo summum Eleemosyna- rium, Episcopum Aulæ constituendi, ter- tio autem in refractarios illos constitu- tionique contradicentes septem Episco- pos quam seuerissime, etiam vi, si opus fuerit adhibita animaduertendi.

Londini, a. d. 4. Junii. Vario adhuc apud nos iactantur sermone, quæ de nefanda conspiratione in sanctissimum regis caput, omnium ore circumferun- tur. Sunt, qui a duobus hominibus sceleratū consilium regi detectum com- memorant. Illos præmio adfectos am- plissimo, nomina eorum, quos initæ societatis nefandæ conscios habebant, prodidisse aiunt. Alii primariæ digni- tatis virum, regem monuisse tradunt;

omnes tamen a rege precibus obtinuisse perhibent, vt ne testium loco adhibe- rentur in caussa, quæ maximum illis conflare odium & periculo esse queat. Hæsterna die vir quidam ab exteris ve- niens, comprehensus fuit, cuius reculæ cum studiosius perquirerentur, inter tabulas, quas secum adtulerat, geogra- phicas, edictum ab Equite Georgiano promulgatum inuentum est, quo ille ad seditionem populum concitare molie- batur. vt tamen credibile est, edictum illud iam ante aliquot annos typis ex- scriptum per Scotiam diulgatum fue- rat. Alius quidam gente Hybernus, qui sex hebdomadam spatio ter mare traiecerat, in via publica deprehensus, ab adparitoribus in domum, qua se ali- quamdiu continuerat fuit deductus. Cumque illi supellectilem eius adcura- tius excuterent, gladiumque ei adem- tum paullo negligentius adseruarent, ac litteras, quas inuenerant in pileo repositas iam secum auferre vellent, Hy- bernus arrepto gladio, omnes foras eiecit adparitores obditoque foribus pessulo, in ignem coniecit litteras, ad- uocatisque paullo post iis, qui eum ca- ptium adduxerant, se paratum iam esse, dixit, sequi, quocunque se vel- lent ducere. Interrogatus, quis esset mortalium? Hybernus se esse respon- dit, Nomine is adpellatur Kllius, Johnsonium tamen se ab aliis vocari passus est. Adparitorum autem impru- dentiam, qua factum est, vt litteræ ma- nibus eorum eriperentur, ægerrime tu- lisse regem dicunt. Inuenti præterea sunt non pauci, qui relictis, quas habi- auerant ædibus propere hinc abierunt, quapropter e coniuratorum numero eos fuisse existimant.

Alia, a. d. 10. Junii. Rex noster to- tus adhuc in eo est, vt omnes ii, qui

contra se coniurauerant detegantur. Quamuis autem plurimorum nomina tantum non omni plebi sint cognita, non tamen eos rex comprehendendos curat, neque prius detegendos constituit, quam noua illa celebrata fuerint comitia. Continui illi atque permagni apparatus bellici Hispanorum eo magis, nobis sunt suspecti, quod omnes Angli, Scoti atque Hyberni exules qui adhuc, in Italia commorabantur, in Hispaniam transisse dicuntur. His diebus quatuor homines, qui carmina in regis infamiam composita, atque populum ad rebellionem excitantia in publicis vrbis plateis decantare ausi fuerunt, comprehensos in ergastulum coniecerunt iudices. Ceterum illi, quibus negotium erat datum, vt domos illorum, qui regi suspecti sunt, perlustrarent diligentius, nihil vel armorum, vel aliarum eius generis rerum, quibus seditiosi iuuari possent, se deprehendisse, Towshendio regis scriniorum Magistro significarunt. Hesternam die natalem regis optimi solemniter concelebrauimus. Ingressus ille iam est annum ætatis sexagesimum tertium.

Haga Comitum, a. d. 10. Junii. Nudius abhinc tertium natalem Magnæ Britanniae regis annum ætatis 63. ingressi, legati eiusdem qui apud nos commorantur, festum habuerunt, plurimosque exterorum principum oratores, vt & nonnullos ex proceribus nostris opiparato exceperunt conuiuio. Walpolus autem litteras regis sui, quibus eum Legati extraordinarii munere fungi apud nos iubet, proceribus tradidit.

Hamburgi, a. d. 6. Junii. Inter ceteros, qui Ranzouii comitis causam adcurate excutere atque examinare debent, rex Daniæ præteritis diebus Knobium & Brockdorffum adlegit, quorum singularis in iure peritia inprimis celebratur.

Litteræ, quas e Russia accepimus, nihil certi adtulerunt de itinere quod Magnus Dux Astracorum versus suscipere constituerat. Qui autem in Curoniae finibus contrahuntur, milites, propterea in campis castra posuisse dicuntur, vt pabulatum exire atque e locis vicinis frumenta & alia ad victum necessaria petere queant.

Romæ, a. d. 9. Junii. Duabus iam continuo vicibus sanctius institutum est concilium, in quo de honore Althano Cardinali, qui Pro-Rex Neapolitanus ab Imperatore Rom. declaratus est, exhibendo agebatur: Quo facto Pontifex Maximus eidem Cardinali per Magistrum cerimoniarum indicandum curauit, vt hodie in Palatio Apostolico, ea, quæ Pro-Regem Neapolitanum decet, pompa, compareat. Neptunii duæ naues triemes, Neapoli missæ, appulsæ sunt, qui sarcinas eiusdem in regnum illud transportent.

Mediolani, a. d. 10. Junii. Summo militum Duci Zumiungenio in Siciliam proficiscenti, viginti quinque florenorum millia numerata sunt, ne sumtus itineri prosequendo necessarii deessent. Eidem quotannis tria numerorum, quos Scutatos vocant, millia in victum numerabuntur. Nouariæ quoque præfecturam illi destinatam aiunt, ex qua duo scutorum millia singulis annis percepturus est.

Genuæ, a. d. 6. Junii. Proxime præterlapsa die solis sub noctem duæ Melitensium naues vela ventis dederunt, quibuscum tres aliæ, quæ in Portu Delphini hærebant, Melitam sunt profectæ. Sequenti die Lunæ aliquot nauigia piscibus bene onusta ex sicilia ad nos accesserunt, euitatis feliciter, quas iis prædones maritimi struxerant, insidiis. Litteris ex Hispania allatis nuntiatum est,

Gadi

Gadibus octo naues bellicas instructas esse, quæ, simul ac Hollandorum naues, quarum sex exspectantur, accesserint, ad persequendos prædones maritimos per mare illud nauigantibus molestos, exituræ dicuntur.

Nepoli, a. d. 2. Junii. Superiori die Jouis, cursor extraordinarius Vienna missus accessit, mandata ferens ad eos qui summam rerum tum in nostro tum in Sicilia regno administrant. Pro-Rex noster, omnem suam supellectilem, quæ longe pretiosissima est, componi iam curat, Romam, propediem præmittendam, vnde circa medium mensis præsentis, *Eminentissimum Cardinalem Althanium* adventurum aiunt. Ex Insula Melita accepimus, eos, qui Græci & Turci genere illic habitant, feditionem fuisse molitos, ea tamen mature detecta, complures iam in vincula coniectos esse.

Vienna, a. d. 24. Junii. Proxima solis die sex nauigia tormentis Posonium deuehendis onusta, secundo Danubio fuere dimissa, quibus etiam aliud fuit adiunctum cum vario apparatu bellico Budam deportando. Eadem die quingenti fossores metallici Sebato atque Hala ex Comitatu Tyrolensi arcessiti huc accesserunt, quos iam Imperator viatico instructos, Orsovam, ad excolendas, quæ ibi inuenta dicuntur, aurifodinas dimisit. Ceterum omnia hic iam sedulo parantur, quæ ad maturandum iter Imperatoris Augustissimi ad Comitata Hungarica uidentur necessaria, cui itineri tertia mensis Julii dies præstituta est, nec facile dies abit, qua non varia impedimenta Posonium præmittantur. Editum etiam est hesternæ die Imperatoris nomine edictum, de noua cursuum publicorum (*Postas* vocant) ratione, omnibusque vrbis nostræ portis exemplum eius ad-

fixum est. Formulam eius breuilatine exscriptam cum lectoribus nostris communicabimus.

Alia, a. d. 27. Junii. Nudius ab hinc quartus nominalis regis Portugalliaæ dies pompa quam fieri potuit maxima in aula celebrata est, Ceterum Imperator, vti alias consuevit, ita nunc plurimis, quotidie fere proceribus, domesticis pariter ac exteris sui conueniendi potestatem facit. Ex Moscouia nuntiatum est, Magnum Ducem ipsum expeditioni illi, quam in mare Caspium parat interfuturum, neque prius quam id fiat, Petroburgum rediturum.

Praga, a. d. 13. Junii. Proximis diebus hora vndecima nocturna, atrox in vrbe veteri exortum fuit incendium; neque prius id extingui potuit, quam domus quatuor in cineres fuissent redactæ.

Ex Termis Carolinis, a. d. 14. Junii. Augusti Poloniarum regis Saxoniamque Electoris coniux, nudius abhinc tertius huc accessit vt lauacrorum se refoueat caloribus.

Posonii, a. d. 1. Julii. Superiori hebdomade tormenta duodecim maioris & mediæ moduli Vienna huc fuere aduecta, vt Imperatore Augustissimo, Rege que nostro indulgentissimo urbem ingressuro, festius explosionum fragor eo sit grandior. Die S. Ladislao festa Inclyti Regni Hungariae Status ac Ordines e publica domo in Templum vrbis primarium hora 8. matutina progressi *Officium de Spiritu Sancto* celebrarunt. Tota, quæ præterit hebdomade Sedes Tauernicales, præside Excellentissimo Comite Sigismundo Csáky, Tauernicorum Magistro institutæ sunt, id quod a longis retro temporibus factum haud est. Pons in Danubio factus, nauibus Sexaginta septem superstructus passusque plus minus nongentos longus est.